



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Roma Sancta sive Benedicti XIII. Pontificis Maximi &
Eminentissimorum & Reverendissimorum S. R. E.
Cardinalium Viva Virtutum Imago Æri & literis in
perennaturam Virtutum memoriam incisa**

Conlin, Johann Rudolph

Augustæ Vindelicorum, Anno MDCCXXVI

VD18 10209328

No. VI. Franciscus Aquaviva Neapolitanus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72633](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72633)

No. VI.

FRANCISCUS AQUA- VIVA NEAPOLI- TANUS.

Franciscus Episcopus Sabinensis Cardinalis de Aquaviva Neapolitanus, Protector regni Hispaniarum natus est 14. Octobris An. 1665. ex decantatissimâ ducum Atria in regno Neapolitano familiâ; ad quam quidem Atriam, in agro Picentino sitam ortum suum referebat Imperator Adrianus; hinc eadem urbs olim nomine Hadriae veniebat. Primus, cui Ducis nomen concessum Matthæus Andreas Aquaviva existit, in id fastigii anno 1486. erectus: inde Aquavivæ tam latè propagati fuere, ut inde ortum suum ducant moderni comites de Flaviano & Conversano, duces de Nardo & Noci, nec non principes de Caserta & Teramo, celeberrima per regnum Neapolitanum nomina. Ad hanc principem familiam pariter refertur Franciscus Regis Societatis Jesu sacerdos, qui Sanctorum factis à Clemente XI. adscriptus, novo sydere cælum auxit; verè Aquaviva & fons saliens factus, qui in salutem plurium scaturiret. Denique Eminentissimus Purpuratus Franciscus Aquaviva, qui in nostra tempora, magnorum virorum partu fecundissima incidit, patriæ suæ decus longè illustrissimum, & humanæ apex sapientiæ videtur. Roma magnitudinem tanti viri deprædicat, Hispania prudentiam experitur, exteræ gentes solidissimum genium, & ad omnem perfectionem efformatum demittantur. Cùm natura dotes omnes, principe viro dignas, in eum liberaliter effuderit, eximia tamen comitas, quâ paucis concedit, principem locum reliquas inter obtinere videtur; & prout in captandis multorum benevolentis efficacissimus creditur, ita promeritas semel amicitias profusa liberalitate excolit. Oris faciendâ tantum valet, ut cùm Sacrum os solvit, pronas audientium voluntates liget. Dein amœno fecundus ingenio, in gravissimis Sacræ aequè ac Politicæ Republicæ negotiis musarum nullam à suo consortio arceat, nunquam solus habitans, utpote semper cum libris, librorum ipse futurus materia. Gravis incessus grandem in corpore mentem denotare videtur; planè ad Hispanorum modulum & virilem gravitatem, quam in suis exigunt, tam propè accedit, ut peregrinæ gentis amorem, longiori etiam inter illos commercio, homo licet Italus, facile aucuparetur, nec gravatè sui amatores fecit, quos eximiarum admiratores virtutum habuit. Ad hanc in Hispaniâ obeundam nunciaturam ab Innocentio XII, qui summam in hoc principe sapientiam suspiciebat, destinabatur; quam quidem sibi commissam provinciam tam gnaviter vir incomparabilis exequabatur, ut non aliter ex Hispaniâ revocandus videretur, quam sacrâ purpurâ in Summorum meritorum compensationem attributâ. Hæc se à Clemente XI, hujus principis perspectæ prudentiæ omnia tribuenti 17. Maj. An. 1706. condecoratum vidit. Redux ex Hispaniâ factus, patriam suam ex integro immutatam, & juris Austriaci, quæ bellorum vicissitudo est, factam vidit: adhæc principem Joannem Hieronymum Aquavivam, ducem Atriæ, suumque Germanum fratrem, in cujus perspectâ fortitudine Philippus V. tantum fidei collocaverat, ut eum Neapolitanæ militiæ cum summa potestate præposuerit, Romæ offendit, quò is, quas semel amplexus fuerat partes, cum fide tuitus sese contulerat. Verùm Eminentissimi Purpurati immeritum pectus maximo dolore pul-

F

sa

fabatur, cum Joannes Hieronymus triennio abhinc ex asperis calculi doloribus excederet, princeps utique dignissimus, qui in patriis seclibus exspiraret, nisi fatorum diuiculer eluctabilis necessitas aliud iussisset. Brevi postea Libitina necdum satiata novum funus superaddidit. Properabat magnis itineribus Romam Anno 1710. Julius Antonius Aquaviva, Eminentissimi Purpurati ex eius Sorore Dorothea non degener nepos, ut in Maximi avunculi amplexu rueret; Sed in medio itinere ardentissima febris correptus, ad coelos prius transiit, quam ad optatissimos avunculi aspectus devenire liceret. Jam audi orbis, quod obstupescas, & prudenti conjectura conjice, quam procul a fulmine sapientiae lauri absint. Decimo Septimo Junii anni millesimi Septingentesimi decimi quarti Eminentissimus Purpuratus in suis aedibus suburbanis, quas Albae magnificentissime exstructas possidet, cum quatuordecim magni nominis hospitibus mensa assidebat. Et ecce, subito se spissae nubes caelo intendebant, & internitentium fulgurum minae convivas conterrebant: mox atrocissima illa tempestas fulmen excussit, quod mentem tam nobili coronam cinctam, unacum cibis appositis ita absumpsit, ut nemo tamen convivantium, quod prodigii instar habitum est, vel minimum laederetur: adeo infra suum coelum fulmina serpunt, & nobiliora fata tot inclytis viris debebantur, quam ut caeli ignibus absumerentur. Subinde, ne quid ad summam gloriam maximo Purpurato deesset, grata tot meritis Hispania, eum suum in aula Romana principem ministrum, & potentissimi regni protectorem esse voluit; immo magis magisque tantos demeritura viros, principes Aquavivas ita in suos adoptavit, ut ad magistratus ecclesiasticos aequae ac forenses, per totum Hispaniarum regnum obeundos, jure indigenatus in eos translato, omnimode capaces regio indultu declararentur. Anno 1714. Eminentissimus purpuratus ad aulam Parmensem se conferebat, neosponsam Philippi V. Salutaturus, & regiarum nuptiarum solemnibus ipsemet interfuturus. Regii sponsi vices in solempni illa desponsatione Franciscus Farnesius Parmae & Placentiae Princeps obibat: aderat una Eminentissimus Purpuratus Gozzadinus, a Maximo Pontifice gratulatum missus Legatus a Latere, Admiratus tunc Eminentissimus Aquaviva fuisse dicitur pene stupendam in principe foemina sapientiam, quae omnes artes suo aut saeculi genio valentes mirifice calleret, quae praeterquam Italicè, Latinè etiam, Hispanicè, Gallicè & Germanicè tam probe loqueretur, ut multarum denique terrarum incola videretur; quae insuper venandi studio tantopere caperetur, ut omnes principissam Palatinam facile intelligerent, utpote Philippi Wilhelmi Electoris Palatini filia Dorothea Sophia Anno 1692. progenitam; quae demum pictoria arte summopere delectaretur, & in seipsa exactam virtutum aequae ac formae imaginem exprimeret. Anno 1720. Eminentissimus Purpuratus victoriam Hispanorum in Africa de Mauris reportatam trium dierum latitiam prosecutus est; primarium etiam vexillum, è maurorum manibus virtute Hispanorum ereptum, Clementi XI. muneris loco obtulit, qui eam de Affris victoriam multis deprædicabat, cunctos orthodoxos Principes pro muneris sui partibus animando, ut gladios in propria non nunquam singula haud satis laudabiliter strictos eò denique dirigerent, unde major gloriae seges & orthodoxae religionis incrementum accresceret. Pergat modò Orthodoxa Hispania, & Sacra trophaea in Africa figat, aut per Orientales plagas novas victorias extendat; copias jungito Christianissima Gallia, aliquando tot victoriis sub Ludovico IX. eoque Sancto per Palestinam inclyta, Austria non deesto; neque etiam ea, quae es pietate deesse potes, aut publicis Christiani orbis votis unquam defuisti. Tunc enimvero triumphatrix religio in Solymarum & Constantinopoleos moenibus sacra trophaea indubiè figet, nunquam gloriosius triumphatura, quam si juratos Christiani nominis hostes sub jugum mittat; Ea Votorum summa est Eminentissimi Purpurati Aquavivae, qui Larissae in Thessalia Episcopum ideo se aliquando denominatum sentit, ut aut magnanimum Achillem ibi progenitum exhiberet, aut novus in excelsio Olympo futurus Apollo cum omnibus Musis doctissimo verieret consortio.